

THEISIS XXV.

Sententia asserens necessitatem contritionis conceptae ex amore Dei propter se super omnia dilecti pro rite suscipiendo Sacramento Poenitentiae, nequit componi cum virtute Sacramenti eiusdem, cuius ex Christi institutione proprius effectus est remissio peccatorum.

I. Potestas remittendi peccata est potestas per se remittendi peccatum praesens, potestas reconciliandi peccatorem, efficiendi ex inimico amicum Dei, ex peccatore iustum. Hic est conceptus potestatis, quam Patres contra Novatianos defenderunt, qui e contrario volebant peccatorum veniam impetrari tantummodo a Deo per dispositiones poenitentis. Scilicet eam potestatem, quam soli Deo adserebant Novatiani, eam communicatam quoque esse huius Sacramenti ministris docebant Patres: Deus vero remittit peccatum praesens. Unde ratione habita, non quidem modi, sed effectus, comparabant Patres hoc Sacramentum baptismo, qui certe saltem in infantibus peccatum praesens diluit, hominemque peccatorem Deo reconciliat. Et sane si est vera potestas remittendi peccata, cum eius obiectum sint peccata, existente eius obiecto poterit se exerce illudque delere: secus non foret potestas remissiva peccatorum.

Necesse est ergo ut potestas remittendi peccata se exerce possit in peccata actu existentia eaque delere; porro si ita est, nequit postulari ut nunquam sit peccatum, cum ea exercenda est. At si contrito exigitur concepta ex amore Dei propter se super omnia, peccatum iam esset deletum ante exercitium potestatis (cf. praeced. Theses): ergo. Hac proinde doctrina supposita, quam in iis Thesibus contra hos Theologos vindicavimus, sequitur necessario non posse postulari tanquam conditionem necessariam pro effectu absolutionis assequendo contritionem caritate formatam.

Qua in re advertendum est hypothesim hanc, quam impugnamus, prorsus diversam esse ab ea, quam iam defendimus, posse nempe vere exerceri potestatem clavium in peccata quoque iam remissa. Etenim cum potestas clavium sit vera potestas remittendi peccata praesentia, exerceri vere etiam potest cum peccatum iam est remissum; quia peccatum idem pluries remitti potest: id autem vere fieri potest, quia potest ea, quae fertur nunc in peccatum iam remissum, est illa eadem, quae peccatum, si praesens esset, vere remitteret. Ideo enim potest pluries fieri absolutio eiusdem peccati, quia potest iterari ille actus, qui per se par sit peccato existenti remit-

tendo. At in hypothesi, quam impugnamus, nulla est potestas, quae ferri possit in peccatum praesens. Responsio proinde in forma, si quis id obiiceret, haec foret: Absolutio valide datur etiam iustis et est vera remissio, eo quod ea ex se potens est remittere peccatum, si praesens foret, conc. est vera remissio, si nunquam valeat remittere peccatum praesens, neg. cf. Th. XI. n. VI. Unde instauratur rursus et confirmatur magis argumentum praecedens: eatenus vera est potestas remittendi peccata tum quoque cum fertur in peccata non amplius existentia, quatenus ea ferri potest in peccatum nondum deletum, ipsumque abolere; atqui in hypothesi adversariorum nunquam fieri potest ut potestas exerceatur in peccata praesentia nondum deleta; contrito enim, ut probavimus, ea delet: ergo huiusmodi non est potestas vera remittendi peccata. Cum igitur tenendum sit per potestatem clavium peccata vere remitti posse, dicendum est necessariam non esse contritionem in Sacramento Poenitentiae. Inepte ergo isti erudit Theologi putant retrorqueri posse contra nos argumentum, eo quod aliquando, teste Concilio Tridentino, peccata deleantur per contritionem ante susceptum Sacramentum.

Fieri proinde potest ut absolutio feratur in peccatum iam deletum, imo per accidens fieri posset ut id semper contingere: at fieri nequit ut potestas ea non possit ferri in peccatum adhuc existens; quod tamen dicendum esset in sententia, quam impugnamus.

II. Quae ut evidentius intelligantur, audiamus hypotheses a quibusdam ex his Theologis excogitatas pro componenda sententia sua cum efficacia Sacramenti, dato etiam quod quaevis contrito ex amore Dei propter se super omnia dilecti statim deleaf peccata. Eas exhibet Le Drou opere citato Dissert. I. cc. 5. 6. Prima huc reddit; Sacramentum Poenitentiae etiam in contrito contritione perfecta efficaciam habet, quia remissio peccati concessa contrito data est intuitu Sacramenti subsequentis. Respondemus, ait, absolutionem huiusmodi reconciliare hominem ea reconciliatione, quae praecessit, h. e. efficere atque operari reconciliationem illam praecedentem. Imitantur enim Sacraenta in quibusdam hominibus passionem Christi, quae omnes priores iustos ab exordio mundi peperit.... Ita quod iste Deo sit reconciliatus, non nisi per absolutionem sequentem est factum, aut quod in voto secuturam habuit». Addit Le Drou exemplum aliud «sicut, inquit actio Sacramenti fictie suscepti tantum valet fictione remota, dum amplius formaliter non existit, quantum si rurus adhiberetur, idque propter acceptationem Dei, in qua perinde efficax est ac si reapse existeret». Unde concludit: «Votum Sacramenti reconciliationem non efficere vi sua, nec ut opus operantis, sive ut mere est actus poenitentis, sed (ut loquuntur Theologi) ex

opere operato, seu ex vi et efficacia actionis Sacramentalis, non quidem formaliter, sed *virtute*, seu aequivalenter exercitae ». Turpiter vero decipitur, vel inepte calumniatur Ioannes De Neerkassel Episcopus Castoriensis in opere, cui titulus : *Amor poenitens*, L. I. c. 29. dum huiusmodi sententiam tribuit universim iis, qui existimant ab amore Dei super omnia seiungi non posse remissionem peccatorum, ut explicita qua ratione doctrina haec cum efficacia Sacramentorum componatur. Haec enim sententia de efficacia Sacramenti in voto solet defendi tanquam hypothesis saltem probabilis ab iis, qui contendunt in Sacramento non sufficere attritionem, sed requiri contritionem, et explicare debent quo ergo spectet efficacia absolutionis, cum contritus iam secum ferat remissionem peccatorum. Cf. in Th. seq. Thomam de Argentina et Biel.

Ad huiusmodi imaginationem excludendam sufficit haec simplex animadversio. Quando caritas et contritus cum voto Sacramenti habeatur, semper et statim remissio peccatorum confertur, neque id modo ab adversariis negatur : iam vero frequenter contingere potest, et contingit reapse, quod Sacramentum nullum homini contrito applicetur, ut cum quis conteritur in articulo mortis et salvatur per desiderium baptismi vel Poenitentiae. Cuius ergo Sacramenti intuitu collata est tunc homini contrito remissio peccati ? An alicuius Sacramenti abstracti, an Sacramenti alteri collati ? Inepta haec sunt et ridicula. Dicendum itaque foret quod, si Deus praevidebat hominem contritum non esse reapse suscepturum Sacramentum, ei non conferatur remissio peccati. Cur ergo Patres censuerunt salvari eos, qui cum solo desiderio baptismi moriuntur ? Quis vero unquam docuit votum seu desiderium sacramenti efficaciam habere ex opere operato ? Patet autem exempla allata non esse ad rem ; quia passio Christi vere exstitit, et vere collatum est Sacramentum, cuius moralis efficacia exeritur recedente fictione.

Secunda hypothesis est : etsi contritus debeat peccatum deleatque delere ante acceptam actu absolutionem, manet sua vis et efficacia Sacramento, quam ei adserunt Tridentini Patres ; eo quod peccatum deleatur per Sacramentum in voto ; et idcirco verum est Sacramentum sive in re, sive in voto efficax esse remissionis peccatorum.

Verum haec hypothesis non facit satis efficacie Sacramenti. Nam 1) Concilium loquitur de ipso Sacramento reali atque illi efficaciam hanc tribuit, quam tamen adversarii tribuere eidem non possunt. 2) Iuxta Concilium praecipua vis iustificandi per Sacramentum non est in actibus poenitentis, sed in absolutione, h. e. in ministerio potestatis clavium (Sess. XIV. cp. 3) : atqui talis vis potestatis clavium non habet locum, cum Sacramentum est tantum in voto ; nam primo

votum Sacramenti non est exercitum huius potestatis ; secundo Sacramentum in voto sive votum Sacramenti non est causa, sed conditio iustificationis, ut diximus (Th. IX) ; tertio Sacramentum in voto seu votum Sacramenti, non habet maiorem efficaciam quam actus poenitentis, cum sit ipsum actus poenitentis et eatenus efficiat quantum est ipsa contritus. 3) Haec hypothesis pugnat cum sententia adversariorum eamque penitus labefactat, ut non videantur satis intelligere quae dicunt, qui ea abutuntur. Nimis doctrina haec de remissione peccatorum per votum sacramenti, intelligi quidem potest eiusque ratio reddi in nostra sententia ; at in sententia adversariorum est prorsus inexplicabilis nullaque freta ratione. Sane Sacramentum in voto requiritur pro remissione peccati, cum hoc per solam contritionem deletur, quia Sacramentum in re est institutum ad delenda peccata, atque ea quoque, quae nunc per contritionem delentur ; et idcirco ideo dici potest in voto existens remittere peccata, quia reapse potest peccata, quae sint actu, remittere. At si Sacramentum non potest ex se remittere peccata, quibus adhuc detinetur homo, et idcirco ad hunc effectum non est institutum ; cur requiritur eius votum pro acquirenda remissione peccatorum ? et quomodo dicitur remittere peccata in voto, si ea nequit remittere dum actu existit ?

Tertia hypothesis pro hac conciliatione explicanda, haec est : ideo Sacramentum est causa efficax remissionis peccati, quia remittitur peccatum per partem Sacramenti, cuiusmodi est contritus : quod autem a parte fit, toti deputatur.

Verum primo Concilium iustificationem, quae fiat cum Sacramento, vindicat praecipue formae, h. e. exercitio potestatis (Sess. XIV. cp. 3). Iustificationem autem intelligit transitum a statu peccati ad statum gratiae (Sess. VI. cp. 4. et 14; Sess. XIII. cp. 1. et 2). In hac vero hypothesi absolutio 1) non esset unquam causa huius iustificationis ; 2) et si causa foret, non esset causa praecipua, sed ad summum aequalis, cum contritus par sit ad eum effectum producendum ; et cum ea postuletur pro ipsa constitutione Sacramenti, ideo causa esset contritus, non minus quam absolutio, gratiae Sacramentalis. Deinde cum Sacramentum actu non ponitur, habet ne contritionem partis ? Potest quidem ea, cum elicatur, ordinari ad constitutionem Sacramenti ; sed non est necessario pars, potest enim existens seorsim a Sacramento et sine illo, effectum iustificationis producere. Iam vero toti tribuitur effectus, qui procedit a parte, cum pars agit existens in toto et dependenter a toto. Cum ergo contritus agat etiam non existente Sacramento reali, nequit effectus contritionis deputari Sacramento veluti toti cuius ea sit pars.

Quarta hypothesis est quod Sacramentum reconciliet contritum etsi non coram Deo, tamen coram Ecclesia, faciatque proxime idoneum ad alia Sacraenta suscipienda.

At iuxta Tridentinum reconciliatio, quae est effectus Sacramenti proprius, est reconciliatio cum Deo: reconciliatio cum Ecclesia fit per absolutionem a censuris, quae non est forma Sacramenti, neque est actus proprius ministri huius Sacramenti. Praeterea cum peccata sunt occulta et confessio secreta, quaenam fit reconciliatio cum Ecclesia, quae neque offensa fuit, neque poenitentiam cognoscit?

Quinta hypothesis est quod Sacramentum reconciliet reconciliatione consummata per condonationem poenae temporalis vel in toto vel ex parte.

Ergo Sacramentum non culpam, sed poenam tantum remittit, quod repugnat Tridentino. Praeterea etiam contritio sola id praestare potest.

Sexta hypothesis est: Sacramentum contrito confert augmentum gratiae, hoc porro augmentum est reconciliatio quaedam; nam homo reconciliatur magis Deo.

Scilicet Sacramentum Poenitentiae illud praestat quod praestant cetera Sacraenta vivorum; non autem praestat reconciliationem proprie dictam seu primam, sive iustificationem eam, quae est transitus a statu peccati ad gratiam: porro hic est effectus proprius huius Sacramenti, ut ex demonstratis in praecedentibus liquet. Ideo scilicet augmentum gratiae est remissio, quia gratia in illo datur sub ratione remissionis, ideoque amplior est remissio: datur autem gratia sub hac ratione, quia absolutio potest remittere et ordinata est ad remittendum peccatum praesens.

Atque hae sunt responsiones, quas huic *vulgari obiectioni*, ut ipsi amant dicere, diluendae sufficientes arbitrantur novi isti Theologi.

Satis ergo constat iis, qui defendunt necessitatem amoris Dei propter se super omnia in Sacramento, vel negandum esse contritionem omnem caritate formatam delere statim peccata, vel negandam esse vim propriam Sacramenti poenitentiae remittendi nempe peccata. Cum igitur iam utrumque falsum esse demonstraverimus, sequitur necessariam non esse contritionem ex huiusmodi amore in Sacramento.

Neque ex eo quod Concilium Tridentinum definit partem Sacramenti esse contritionem, sequitur postulari detestationem peccati ex amore Dei conceptam; duplex enim est species contritionis, quarum altera iuxta idem Concilium non iustificat citra susceptionem Sacramenti, altera iuxta idem Concilium iustificat ante Sacramentum susceptum. Est autem commentum Iansenianum definitionem traditam

a Tridentino contritionis generice spectatae includere motivum amoris Dei; ideoque hoc motivum commune esse utriusque contritioni perfectae et imperfectae, perfectam vero eam esse, quae sit ex caritate perfecta, h. e. intensa sive intensissima. Quod commentum inferius data opera refellemus.

THEISIS XXVI.

Praemissa brevi Synopsi historica sententiae veterum Scholastico-rum circa efficaciam Sacramenti Poenitentiae, docemus ad plures ex illis perperam ab adversariis provocari ut suam sententiam de necessitate contritionis in Sacramento Poenitentiae tueantur.

I. Pro huius rei declaratione expedienda est quaestio historica: quid arbitrii sint non pauci Scholastici veteres de efficacia absolutionis; videtur enim non una eademque fuisse penes illos sententia. Ut rei totius summa tantum capita attingamus, haec speciatim monemus.

1^a Sententia fuit communis veterum, Sacraenta omnia novae legis gratiam conferre, atque in hoc differre a Sacraentis veteris legis, eamque gratiam conferre quam significant. Ipsum proinde Sacramentum Poenitentiae conferre gratiam a materia et forma eius significatam.

Unde Gabriel Biel *Profundissimus* Theologus Seculi XV. cum de Sacramento Poenitentiae loquitur in IV. D. IV. q. 2. inquit: « Nostandum quod licet apud omnes concedatur quod per Sacramentum Poenitentiae deletur culpa; quomodo tamen ista deletio intelligenda sit diversae sunt opiniones ».

II. Et idcirco ut de Sacramento Poenitentiae speciatim loquamur, quadruplex penes veteres occurrit potissimum modus explicandi efficaciam eius, sive declarandi effectum illum, qui ipsi Sacramento sive absolutioni proprie tribuendus est. Alii enim docent absolutionis efficaciam per se pertingere immediate ad primam gratiam, qua deletur peccatum, quos auctores paulo post afferemus: alii vero docent pertingere ad eam mediate, immediate vero ad quandam dispositiōnē effectam in animo, sive ornatum quemdam analogum characteri: ad hos spectant Albertus M. in 4. D. XVI. a. 8. Magister, interprete s. Thoma, in 4^a. D. XVIII. q. 1^a. a. 3. coll. D. 1^a. q. 1. a. 4. et ipse Thomas ibid. Alii docent Sacramentum in voto, quod in contritione existit, pertingere ad primam gratiam, Sacramentum vero in re con-